

Alte Drucke

Opera

ANGELI || POLITIANI || OPERVM || TOMVS PRIMVS. || Epistolarum libros XII. ac
Miscellaneorum || Centuriam I. complectens. || Indicem rerum memorabilium
calci || operis adiecimus. ||

Poliziano, Angelo

Antverpiae, 1565

Angeli Politiani Epistolarvm Liber Sextvs.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:ghv:ha33-1-155013

Titulus
de excu-
sationib'
Græcè
scriptus.

rum, qui symbolam dederunt, quàm librorũ quoque, & titulorum, quibus vestra Pandectæ se debent, exactior nomenclatura. Nam ceteri non intexuntur, sed tantum citantur: quidam tamen in codicibus deprauatis, quamuis omnino immunes, munificibus tamen adnumerantur. Tituli præterea nonnulli, sicuti de excusationibus, penè integri Græcè sunt editi, quos indoctus aliquis (ut apparet) in Latinum transtulit. Sed & hæc (ut opinor) & alia pleraque nostras aliquando vigilias desiderant, quas utique nos (modò vita suppetat, ac modò paululum quid otij contingat) nimium quàm libenter tribuimus, sed prius tamen Philosophiæ satisfaciendum, cui nunc totos (ut scis) penitusque nos tradidimus. Erit opus omnino Barptolemæi Sozini Senensis doctoris excellentis, imò verò planè singularis, opera nobis, & consilio. Quem equidem Papinianum alterum videor audacter posse appellare sæculo nostro. Vale.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM

LIBER SEXVS

T V S.

ANGELVS POLITIANVS

Philippo Beroaldo suo s. d.



CERTIOREM me per litteras iādiu multi fecerunt, venisse istuc ad vos quendā, qui nostras adnotationes venditet in Statij Siluulas, easq; se iactet ex nostris auctographis descripsisse. Puto esse autem non quas, me prælegente, studiosi exceperunt, sed quas ego adulescens vi-

McW.

uēte adhuc Domitio, marginibus domestici codicis ad-
 scripseram: videlicet offensus iam tum, quod multa ille
 parū perspectē prodidisset, quæ ferē omnes tamen quasi
 calitus demissa mirabantur. Quare visum est adnotatio-
 nes istas, qualescunque sint his ad te litteris, quasi qui-
 busdam characteribus insignire, ne vel aliena fortē mihi
 tribuantur, vel propria subripiantur. Scribere autem ad
 te potissimum libuit, ut maior in teste foret auctoritas:
 præsertim quoniā vulgari ista primum Bononiæ cœpta
 sunt, qua tu in ciuitate iure diu principem locum tenes
 inter nostri ordinis professores. Ergo in epistola prima
 negamus à Vergilio Culicis pastoris defleri mortem, Adnota-
tiones Po-
liciani in
Statij li-
uas.
 quod Domitius credidit. Nec probamus, quod ille de
 hymnis Homericis dubitauit. In equo maximo Dacum
 attonitum, & iturum castris Catonem, secus atque idem
 accipimus. Pelleāsque ceras legimus, nō Apelleas, quas
 & Lysippo tribuimus. Noctem designari dicimus per
 tempus, quo superis terrena placent. Nec mitis apud nos
 Tonans, imò Taras, quo Neptuni statua innuitur, cuius
 apud Nonium Lucilius, cuius (ut omittam Græcos) etiā
 Plinius meminit. Latus quoque huic dono, non letius,
 ipsi legimus. At in Violentilla, vocalis vmbra ritum
 spectare illum nobis nuptiarum videtur, de quo in pro-
 blematis Plutarchus. Sed & quæ dulcis imago profi-
 luit, ad speculum potius pertinet. Nec illud, Tam Thy-
 bridis, sed magis, iam Thybridis arces admittimus,
 ut & falsus huic pinnas, non autem falsas. Nam Mi-
 noa corona, quæ sit alia quàm Ariadnes? Tum nec
 apud Statium Chiron (quanquàm hoc tamen alicubi
 legitur) pater Thetidis est accipiendus. In Thyburti-
 na quoque villa, pulchrē de Leone dictum illud aspexit,
 quod torua belluæ frons, torui oculi, nec talis hiems te-
 etis,

tis, Epiphonema. Nec ubi de Chalcidos fluctibus men-
 tio fit, res mirandæ in comparationem, sed fretorum ana-
 gustiæ vocantur. Reprehendimus & illud, ut admodum
 frigidum, quod de anne ridente, deq; Nymphis existi-
 mat anhelantibus: nec probamus Aniene in fonte, sed
 Anien & fonte. Proq; Tiburno Tiberinum recipimus,
 explosis locorum genijs. Tum quod ille sibi argentia
 vindicat, ipsi publicum diu probamus. Conquerimur &
 quod apud eundem, pro Lucrinis domibus, Lacinia sint,
 nullo idoneo sensu contra exemplarium fidem, reclama-
 ntibus & syllabis duabus. Sed nec maiorem lyram trahi
 per vim patimur ad Vergilium. Dissentimus & Gallici
 soterijs, ut in illo: Liceat enthea vatis. Item in illo: Hinc
 alti gaudens. Nec verò Galiciæ syllabam reformidamus,
 Phœbum tamen affirmamus loqui, non Aesculapium. Sed
 in Hetrusci balneo, primum illud ita legimus: Tu quoq;
 muta, feræ, volucer Tegeæ sonore, quo Mercurius, te
 studoq; monstratur. Nec auertite, pro exuite, sed aduer-
 tite volumus, & quod ibidem maxime deprauatum, nos
 ita corrigimus: Vix locus Eurotæ viridis cum regula lō
 go, Sinada distinctu variat. Huc illud etiā pertinet: Non
 lumina cessant. quo excitari oculos colorum varietatis
 bus ostenditur, Nec pro vasis labra, sed pro summis aca-
 cipimus aut vasorum partibus, aut fistularum. In Kalen-
 dis Decembribus, latere palmam putamus, præ magni-
 tudine ipsa dactylorum. Deridemus & Hamum, & Spas-
 sionem, quod tamen & Merula refellit. In Glaucia, le-
 ctionē pluribus locis improbanus, ut: Atq; ipsos reuo-
 cabat ad oscula postes & Turba catastæ. sed et illud,
 At legisse iuuat. Deniq; parabolē quoq; succisi papauc-
 ris, nō à Vergilio tantū, sed ab Homero vsq; repetimus.
 In Pollij villa, miramur planē tantum de Prætorijs esse
 silen-

silentium. Sed & per Epexegetin legimus illud, Aspici-
 et Phœbi tenerum iubar. In arbore Attedij, credimus est
 Cacozelon, ut æstare ad fulmen redigatur. In Psitacho
 querulæ iam sponte fores videtur, quoniam quidæ que-
 rule antea quoque, sed non sponte, quia brutorum voces
 etiam interdum querulæ dicantur. Nec verò agnosci-
 mus illam de Blesci pueri obitu consolationem. Sed &
 in Leone Mansueto, nouum pudorem, non ut Domitius
 interpretamur, imò autem nec omnino fleuisse Cæsarem
 suspicamur. In Lucani genethliaco, duos ita versicu-
 los corruptos integramus: Et siquæ patet, aut diem re-
 cepit, sertis mollibus expleatur umbra. Nec aliam præ-
 ter Argo ariolamur puppem temerariam Mineræ. De
 Nerone quoque, de Orpheo, de urbis incendio, de
 Polle laudibus diuersa sentimus ab ipso. Nec penetra-
 sti legimus in epistola ad Pollium, sed penetrati. Por-
 rò in Hercule Surrentino falsò ludi Aëtiaci pro Py-
 thijs accipiuntur. Falsò item illud de Parthenope ri-
 dente, Parua suæ simulacra coronæ. Verbum quoque
 degenerauit, in suum locum restituiumus, in quem scili-
 cet illud subierat dedignatur. Etenim in Propemptico,
 pro Thebaide posuit Domitius Achilleida. Sed & in
 Hetrusci lacrymis malè illud: Aeternasque ultro sacra-
 uimus umbras. Et item illud, Præcipuos sed enim meritò
 surrexit in arcus. In Earini coma, puer Sangarius, nobis
 haud dubiè Ganymedes est. Nec concussum vulnere tor-
 pens, ipsi legimus, imò corpus: sicuti crinis apud nos,
 qui est apud illum vertex. In Ecloga ad uxorem, leui-
 cula mutatio hæc. Etenim tua, pro illo est, mens tua,
 totum pene Poëtæ confundit intellectum. Non approbo
 Lechias, neque enim syllabæ ferunt, in via Domitiana,
 nec item cœnum populeum. Versiculum quoque illum,
 Sed

Sed grates ago strictus, atque tanti est, sic equidem in
 exemplaribus inuenio, Sed grates ago, seruitusque tan-
 ti est. Damno & lustras, in lyrico ad Septimium. Nec
 qui Libyam doceant, sed qui deceant, defendo. In Epi-
 trapezio, nos hoc spatium, quod ille, an spatio. Nos
 infra stet mensura pedem, quod ille pedum. Nam il-
 lud, Aut eleæ lucis, ipso refellitur syllabarum vitio.
 Sed & Torani alumnum confinxit ipse sibi, pro Timai.
 Recusat & in Saturnalibus ad Grippum, Cereos arena-
 tes, hendecasyllabi ratio. Versiculus quoque ille sic
 domi nostræ, Nil mutas, sed idem mihi rependis. Iam
 genitrix Sipileia, in Abascantio, non Domitij fuit
 emendatio, sed publica omnium diu lectio. Quod tam-
 en attulit ipse, Iam laceras, & quæ sequuntur, quodq;
 Meropen vocauit eam, quæ sit Aerope, proprium fuit
 ipsius. Sicuti humeri iubati, pro fortibus, non quod ve-
 rius, pro puerilibus. Illud quoq; sic ipse restituo: Quod
 cupis ipse iuberi, Da capitolinis, & cetera. In Protre-
 ptico ad Crispinum, Respuo Nemeam, respuo Nubigea-
 nas illos cōmentitios clypeos, cum tyronibus: & quo lo-
 co tributa ibi sunt, ego Thoraca repono. Multa in Epi-
 cedio quoque patris, aliter apud nos, vt vatē, & nil dul-
 ce sonantem, vt Phrygius silex, qui mihi Niobam signi-
 ficat, non Hecubam, vt quod mensis vocabulum putat ip-
 se, nos participium. Legit ibidem, qualis & ille dies: at
 ego, quàm tuus ille dies. Nec vmbra philaccida, Pro-
 tesilaum, sed Alcestim credere malo. Certè in carmine
 ad somnū, non ab Aethōte, sed ab Oeta deduco Oeteos.
 Multa in Epicedio quoq; pueri vel notauī, vel emenda-
 ui. Puta illud, Quis error: quem luimus tātis mœroribus
 ecce lacertis. Et illud, Nimirum cū vestra domus, et quæ
 multa parum coherenter intercisa supplet, & ipsum
 simij

finij vocabulum, quod ibi nusquam. Præterea, nitantes,
 nihili vocem. Sed nec à Iuvenale Statium taxari, quasi
 circulatorem crediderim. Fere autem sunt hæc, quæ
 notauimus adulescentes in libri nostri margine, quibus
 iste nos homo nimium familiaris circumduxit. Sed his ta-
 men (vt arbitror) longè sunt & plura, & meliora, quæ
 quartodecimo fere abhinc anno nobis easdem publicè
 Siluulas enarrantibus excepta sunt. In quæ se diu iam ca-
 su incidisse, vir admodum litteratus Tydeus Acciarinus,
 quo Consentiæ tempore profitebatur, eleganti nobis
 epistola significauit. Nactus autem fuerat, vt mihi po-
 stea renunciatum est, quæ Franciscus Puccius Florenti-
 nus collegisset, auditor ille quidem noster olim, dein ve-
 ro in eadem schola etiam professor, qui Neapoli nunc
 agit magna cum laude, doctus vtraque lingua iuuenis,
 nec absurdo ingenio, siue tu prosam condere, siue car-
 men iubeas. Itaque nihil insit oriste vestier, aut magnè
 circumfert, aut nouum. Sed vides, vt notau locos, non
 explicau. Sanè quoniam commentarios non faciebam,
 sed epistolâ, quæ meo quasi pecori notas inureret, mox
 (vt spero) commetarios quoque in easdem siluulas publi-
 caturus, breuissimos illos quidem, sed tamen prorsus (vt
 Plautinum verbum penè amissum reuocetur) amussita-
 tos. Tu interim (quæ tua erga me beneuolentia est) ubi
 res tulerit, imponas (quæso) plagiarijs pudorem. Vale,
 Florentiæ, Kalend. Aprilis. M. CCCXCIII.

Franciscus
Puccius.

Amussita-
ti.

PHILIPPVS BEROALDVS

Angelo Politiano suo S. D.

VIDE mi Politiane in studijs nostris politissime, quânti-
 te, & quidem meritiissimo faciam. Quidquid ex officina
 isthac tua luculenta depromitur, id omne probum, ex-
 coctum, ac emaculatum esse habeo persuasissimum. Imò

(quæ)

(quæ tua est in litteris curiositas, & excellentia) siquid tibi adhuc adulescenti parum elumatum per incuriã elapsum foret, id tamen apud me, & reliquos, qui bene sentiunt, fieret perfectissimum, vel ob id ipsum, quod à Politiano proueniret. Tanta enim tua iã pridem claritudo, & æstimatio, vt possis vel obsoletis nitorẽ dare, fastiditis gratiam, nouis auctoritatem. Et vt semel finiam, hæc apud me tuorum studiorum reuerentia est, hunc tibi honorem deferre soleo, quem diuus Augustinus scriptoribus canonicis autumat sese retulisse, vt te nusspiã errori confinem esse credere ausim. Non ex amore iudicium hoc est, sed ex iudicio amor. Testes sunt scholastici sexcenti, testis est pulpitum illud, ex quo cottidie profitemur, me identidem esse præconẽ, & buccinatorem tuæ singularis eruditionis. Quid multa? publice, priuatim, domi, foris, in gymnasio litterario, extra gymnasium, vbique locorum, vbique gentium, vbique temporum Politianus à Beroaldo extollitur, celebraturq; meritisimo præconio. Tibi me virtus tua fecit amicum. Perlegilibenter, quæ ad me peramanter, & officiosẽ scripsisti: perlegi libentius, quæ in Merulam eloquenter, & cordatẽ exarasti. Qui instar Zoili iam sibi cognomentum Homeromastigis adoptauerat: qui in cunctos sæculi nostri litteratos, non dentes, cum edentulus foret, acuebat, sed linguam vibrabat virulentam: qui pati æquo animo non poterat virtutem in iuuenibus sobolescentem. Qui ad maledicendum faberrimẽ formatus ingemiscebat, imò (vt verius loquar) disrumpebatur orientem solem à plerisque omnibus iã pridem adorari, quàm occidentem. Mors hominis declarauit, quàm gratus foret omnibus. Videtur enim Merula ex gaudio esse procreatus, ita cuncti mortales ex illius obitu gaudẽt. Quod

Merula
Homero-
maltix.

ad me attinet, vellem viueret, vellem peperisset criminosa adnotamenta, quæ in me fertur diu parturisse, ut ita inter veteranum & tyronem pugna foret conspiciabilis. Forsan forsan didicisset se cornutam bestiam irritasse, & momordisse remorsurum, & quod nostro sequitur de vulnere sanguis. Nanque nobis neque machæra hebes est, neque stylus retusus. Quod si mortui in nos scripta publicabuntur, cogemur aduersus mortuum suscipere certamen, & vicem talionis implodere: quamquam non me fugit, quam parum plausibilis futura sit ista contentio, & quod cum mortuis non nisi larvæ luctantur. Gratias tibi vberes ago, & habeo pro honorifica illa nominis mei mentione, quam amanter nimis inseruisti epistole in Merulam graphicè luculenterque compositæ. Quæ enim mihi vberior laus, & verior contingere potest, quam laudari à laudatissimo nostri temporis, eruditissimoque? Quod scribis nescio quem perinde ac fugitiuum istinc huc migrasse, tuasque vel potius sub nomine tuo adnotationes in siluulas Statij venditare: quis hic sit haud equidem noui, neque quispiam est hac nota notabilis: nemo prorsus apud nos visitur, qui aliquid inuulget, aut nomini tuo obscurum, aut eruditioni derogaturum. Adnotatiuncule autem illæ tuæ breues, & concisæ, quas ad me dedisti, quibus subnotantur magis, quam explicentur loca reconditorum siluularum aduersus Domitij interpretamenta, effecerunt, ut siluulas veluti in transcurso relegerem. Iamque & ipse in sententiam tuam non tam pedibus eo, quam assensu litterario. Nihil potest esse verius, nihil pensitatus. Vale, decus litterarum, & me (quod facis) ama mutuiter. Si rarenter ad te scribo, caussa est aceruus occupationum, quibus iugiter distineor. Verum, ut inquit ille, & non of-

ficiosus amo. Iterum salue. Vale. Ex Bono. pridie Idus
Apriles. M. CCCCXCIIII.

ANGELVS POLITIANVS

Philippo Beroaldo suo s. d.

Obrusa.

Pueritia.

Puerilitas.

A DEO testibus nō indiget amor erga me tuus, & stu-
diorum similitudine conciliatus, & multis roboratus of-
ficijs, ut qui Bononia Florentiam veniunt, statim quasi
solemniter quō mihi se magis approbent, in tua cohorte
se numerent. Vellem tamen ut laudare me tam verē pos-
ses, quā plene soles: quanquā hoc ipsum laudari abs-
te, laus est (ut mihi quidem videtur) non ampla modō,
sed & vera. Lator autem placuisse tibi, quæ ad Meru-
lam scripserim, qui utinam nobis ereptus tam subito nō
fuisset. exegissemus ad obrusam quidquid ille inquam
litteris mandauerat. Ac puto (quod cum modestia dictū
sit) perierat Merula, nisi perisset. Nunc cineres, & os-
sa persequi non libet, ne si liceat quidem. Nec est quod
illa exspectemus illius scripta quasi posthuma, coruos
delusit hianteis. Nam nec Centuriæ usquam, nec Plauti-
ne questionēs comparent. Ita lepidus homo posteris
imposuit. Dignus omnino tamen, quem professores non
contemneremus, nisi professores ipse omneis contemnis-
set. Quod porro ad notas attinet, quas nobis necessitas
quedam penē retentantibus extorsit, satis mecum præ-
clare agetur, si pueritiam sapere, non etiam puerilita-
tem videbuntur. Vale. Florentiæ, 1x. Kalend. Martias.
M. CCCCXCIIII.

FRANCISCVS PVECCIUS

Angelo Politiano suo s. d.

ME vero ipsum recens ista Miscellancorum editio,
ut delectauit sane plurimum ob exuniam laudem, atque
adeo immortalem, quā tibi pulcerrimo hoc opere par-
tante

tam candidè sum pro amicitia nostra gratulatus: sic cer-
 tē in eo commouit, atque pupugit nō parum, quod arca-
 na illa, & verē dixerim, mysteria litterarum, quæ diu
 nos ac singulatim ab oris tui oraculo exceperamus, vt
 his quasi pro iure nostro placeri nobis, & gloriari pos-
 semus, peruulgatis nunc his libris, non magis nostra, id
 est, secretorum tuorum, quā populi, atque adeo scho-
 lasticorum omnium erunt. Et de Aristotele quidem præ-
 ceptore suo conquestum esse per epistolam Alexandrū A. Gellii
 regem Gellius scribit, quod is scriptis, ac publicatis phi- lib. 20.
 losophiæ secretioribus operibus priuatum illum discipli cap. 4.
 næ profectum auditoribus suis inuidisse videretur. Et
 ita tamen legendos dedit libros illos Aristoteles, vt ab
 his tantum intelligi possent, qui cum prælegente n audi- Libros &
 uissent. Rescribens enim regi affirmat τὰς λόγους καὶ ἀπομνη- editos &
 νεύσεις καὶ μὴ ἐκδιδόναι τοῖς ἄλλοις, vt iam nostra multo æquior expo- nō editos.
 stulatio videri debeat, quod Miscellanea tua sic diluci-
 dē, ac distinctē cōscripta sunt, vt hos libros qui legunt,
 os auctoris, & vt aiunt ὡσαύτως φωνή non multum, aut Viuam
 certē nihil desiderent. Hos tu igitur thesauros, has vocem.
 margaritas non porcis quidem, vt dicitur, sed populo,
 aut quod sit etiam indignius, grammaticorum ferule ex-
 posuisti. Nam per deos immortales, quid ego primum
 in hoc opere admirerē reconditisimōsne locos, & qua-
 si sanctius illud ærarium litterarum, vnde nihil commu-
 ni percussum moneta, nihil publici iuris effertur? An
 doctrinarum varietatem, & illius ἐγκυκλοπαιδικὰς ver- Cyclicæ
 sicolorem, & vnde quaque fulgentissimam vestem? An doctr.
 verò testium, quos citas, & auctorum dignitatem, si-
 mul ac numerum? quorum sane plerosque hi quoque,
 qui sibi docti videntur, ne de nomine quidem ipso no-
 tos antē habebant. Nam de ornatu illo, ac lepore niti-

disimæ orationis quid dicam? quæ vario quodâ, & prope vermiculato intertextu lasciuiens, omnesq; verborû flosculos captans, candorẽ tamen ubiq; Latinitatis, & quasi pudicitiam præfert, vt illa ipsa purpura, & muliebri mundo quam honestissimo indefessum lectorem vno prope decursu, à præfatione ad extremam illam coroniam traducat. Habemus in manus quotidie ego & Vgolinus tuus hunc librum, legimus, decantamus, ediscimus, ac nulla iam pagella est, quam non decies reuoluerimus: nec tamen adhuc caput vllum sic attentẽ, aut diligenter perlegere potuimus, quin resumentibus illud idem in manus arridere magis nobis, atque, vt Africa illa, afferre noui subinde aliquid videatur. Ac cum illo recognoscere iuuat, quæ pridem, cum istic eramus, te prælegente didicimus: tum verò pleraque alia de liberalitate tua addita, quasi auctarium quoddam auida, ac pendenti aure combibimus: vt iam scilicet partitam cum alijs auditionis nostræ mercedem hoc ipso corollario non inuiti rependamus. Iam verò quanquam quidquid ipsi sumus, si quid sanè sumus, id totum tuo beneficio sumus: quantum tamen ingenio meo applaudere & gratulari me putas, vbi aliquid de penu tuo proferri videmus, quod nos quoque ipsi in re nostra nostro quæsitum Marte habemus. Etenim licet sanè perspiciam quantũ inter aquilam ac noctuam intersit, tamen venire in idem, & cõsentire rationes nostras cum tuis, id verò ipsum placere, me meipsum mihi videri nunc demum aliquid facit. Omittã alia quædam, fraterculus ille gigantis apud Iuvenalem, & terræ filius apud M. Tullium, quam eruditè abs te, et appositè enarratus est. In eundem verò sensum expositum esse à nobis abhinc fermè biennio in publico, frequentiq; auditorio lectissimus iuuenis, & vtriusque nostrum

Strum amicissimus Nicolaus Valorius, qui tum fortè ad-
 erat, nouit. A miniatula quoque cera in epistolis Cice-
 ronis non admodum diuersa nostra lectio fuit, qui nullū
 quidem emendatiorem codicem nāsti (est enim bonorum
 librorum in his locis mira penuria) sed tantum conie-
 cturis permoti, minio, ac cera tua ponendum putauerā-
 mus. Sed & illud Iuuenalis cacoëthes appellari existi-
 mem iudicij tui caussa explorandi, quod mihi quidē pra-
 Delphico oraculo esse non reticuerō. Nam cū legerim
 apud Cornelium Celsum cacoëthes speciem quandam
 carcinomatis esse, eam quidem molestissimam admodum,
 & diuturniorem, inde per metaphoram quandam à sa-
 tyro asiduam incessentem vomitum scribendorum car-
 minum, hoc signari nomine crediderim. Idq; cū adie-
 cta insanabile, & aegro in corde, & verbum ipsum se-
 nescit, quod aptè cadit in vlcus rediuiuum: tū verò etiā
 tria illa Augusti carcinomata, simili propè ratione sic
 dicta, quasi digito indicare videntur. Huic tamen sen-
 tentiae meae quamuis (vt mihi quidem videtur) vnde-
 quaque in hunc locum quadranti, non prius calculum
 album adiecero, quā cū abs te quoque doctissimo,
 atque incomparabili viro comprobatum iri excepero.
 Nec verò illud veremur, ne fortè me existimes ex ijs re-
 bus velle tecum conferri. Praefati enim iam sumus intelli-
 gere nos quantum distet ab Aiace Thersites, & simul
 noui facilitatem tuam, qui in laudis tuae participatum,
 cum omneis bonos, tum praesertim tui studiosos, & ama-
 tores non grauatè admittis. Sed redeo ad Miscellanea,
 in quae mehercule Propertianum illud iam decantare
 possumus: Cedite Romani scriptores, cedite Graij.
 Etenim siquid mihi de litteris iudicij est, non iunio-
 res modò omnes longo post te intervallo reliquisti, sed

veterum etiam scriptorum laudem in hoc quidē genere
 haud dubiē adæquasti. Nā de copiæ quidem cornu, quod
 nonnulli in te invidi acuebant, sentiant alij quid velint:
 mihi certē totum inane, ac vile, nec redimitum floribus,
 sed paleis occultatum videtur. Sunt enim meræ nugæ, et
 planē (vt ipse scripsisti) crassior inter vos, quā inter
 Pyrrhamum & Thisben paries extat. Atque vt intelli-
 gas quā istius operis æternitatem exploratissimā ha-
 beam, haud parū inuidere me fateor Michelotio, Vgo-
 lino, alijsq; compluribus æqualibus, & familiaribus no-
 stris quod tam eximia in hoc libro præfatione citati co-
 gnoscantur à posteris, fientq; pariter tecum æterni, &
 illustres. Quod si id antē mihi venisset in mentem, vel
 gratia, vel precibus, aut pretio etiam, atque omni ambi-
 tus genere cōtendissē, vt nos quoque honestissimæ isti
 centuriæ adscriberemur: & quoniam alios te subinde li-
 bros subcenturiaturum esse polliceris, iam nunc hono-
 rem istum quacunque tecum mercede paciscor. De meo
 autem erga te singulari studio, & amore, etsi de eo te
 non dubitare certò scio, tamen quia ita locus exposcere
 videbatur, scripsissem in præsentia aliquid, ni veritus es-
 sem, ne tam longa, ac verbosa epistola stomachum iam
 tibi, & propēnauseam fecerit: cum præsertim nihilo
 breuiorem elegiam, quasi coronidem quandam adiece-
 rim, quam ijs Dominici natalis ferijs per otium lusi-
 mus, admoniti patriæ, domestici laris, cuius iam non mi-
 nus, quā Homericus ille Vlysses ἱερῶν ἑστῶν καὶ πατρὸς ἀπο-
 δεικνύοντα νοῦσαι: & simul vt vna opera veteribus ami-
 cis, & tibi præcipue duci, & præceptori meo pristinā
 obseruantiam, & amorem testarer. Eam tu cum vaca-
 bit diligentius perleges. Et si videbitur istorum homi-
 nū nasum non reformidare, ostendes cum omnibus, tum
 etiam

Cupio &
 fumū ex-
 ilientem
 posse.

etiam si qua oportunitas affuerit, Laurëtio Medici, viro primario, & de me, & de omni ciuitate nostra bene meritiſſimo. Vale. Neapol. pridie Kalend. Ianuar.

ANGELVS POLITIANVS

Franciſco Puccio ſuo s. d.

INCREDIBILI me voluptate tuæ litteræ affecerūt. Nō tam, crede, quōd noſtra Miſcellanea laudant (quanq̃ id etiam) quā quōd apud me, qui tibi olim præceptor obtigerim, ſingularē quandā vel eruditionem, vel eloquentiam tuam profitentur. Vt enim agricola vehemēter exultat, vbi generoſos fetus ex arbore ipſa legit, quā ſuis quondam manibus conſeuerat, ac diu multa cura produxerat: ita nos magnopere delectatos illa epiſtola tuā ſcias, quæ miriſcos iſtius ingenij noſtra opera culti nobis fructus exhibuerit. Audieram quidem ſæpē antea quoque, nec ſine ingenti meo quidem gaudio, te Neapoli docere iuuentutem, magna celebritate, magna gloria. Sed hæc tuā nūc tamen epiſtola planē declarauit, non abeſſe à Neapolitanis, quibus ita placeas, iudicium illud antiquum ſtudiorum, quæ ſibi olim ſedem apud ipſos propriam, quaſiq̃ certum domicilium delegiſſent. Eſt enim ſtylus eius epiſtolæ cū (quod ego in primis exigere ſoleo) Latinus, & caſtus, tum verò elegantem quandam præ ſe indolem ferens, elaboratus, imitatorque ſimilis, hoc eſt, ita latenter, ita diſſimulanter cultus, vt in eo ſe forma, non cultus oſtendet. Facilis idem, profluens, numeroſus, non anxie, non moleſtè diligens, magisq̃ ſimilis negligenti, ſed ita tamen, vt plus eo quoque pacto Veneris habeat, qualis Apelleis eſt color in tabulis. Quid igitur mirum, ſi meum quoque ſicuti Latone tacitū pertentant gaudia pectus, cum tales prodiffe diſcipulos e noſtris vmbra culis video, quales ego

fortasse iā nec magistros asperner? Non enim propterea quod tibi ego tūc magister, ideo nunc quoq; te doctior. Nam & qui me docuerunt, ipsi deinde aliquoties in nostra schola cum ceteris discentibus desederunt. Vices ita rerum sunt, & quidē pulcerrimæ. Nec mihi certē quidā quam grātius, quā discipulos emittere me quoque ipso doctiores, præsertim si grāti, si memores, si non in præceptorem quoque ipsum, sicut in parentem equulei recalcitrent. Sed & de versiculis, mi Pucci, tuis quid dicam? quam noua ibi multa, quā imō antiqua, quod filiū, qui color, qui cultus, quæ illecebræ, quæ mollitia, quæ quasi teneritudo, quā ibi multas figuras, quā multa lineamenta Græci Callinachi, nescio equidem an data opera, sed expressisti. Nam quod in ijs me quoque laudat, & triplici eloquio succingis, ac ne liori quidem ius esse in nos vllum dicis, siue ita tu credas, siue tanquā poëta fingas, omnino tamen ago gratias, quoniā hoc ipsum contigisse mihi vt à docto homine, quamuis falso, lauder, ingens profectō laus est, atque ob id vera. Sed ilud, opinor, tu quidem iocans, quod quasi magnam quandem expostulas iniuriā, quia quæ prius in schola docui, nūc & in Miscellaneis peruulgauī. Quid autē hoc tuas? Nunquid adhuc dictatis indiges, qui per te numeros implere omneis, ac iam præscribere ceteris potes? Quin imitare tu quoque leonū catulos, quibus cum satis dētes vnguesq; creuerunt, aspernati matris vbera, prædā sibipsi procul in siluis captant. Sed versari cum Baccio Vgolino te dicis, eiq; librum nostrū voluptati fuisse. Cū Baccio tu igitur meo versaris Pucci? Cum Baccio iocos agitas, & seriā? penē dixi (quod nefas) inuideo. Sed quis non tibi eius hominis inuideat consuetudinem, quo nemo blandior, humanior, suauior? Deierem equidem nihil

Baccij
laus.

me

me illo vidisse amabilius, nihil etiā tamen amantiū. Itaq;
 consecutus mihi, quod nemo ferē vnquam, videtur, vt sit
 omnibus carus, omnibus iucundus. Amatur à principia-
 bus, sed sine aulicorum obtrectatione. Celebratur à do-
 ctis, sed sine æmulorum offensione. Cum ceteris ita vi-
 uit, vt omniū ex æquo beneuolentiā colligat, ordinū ta-
 men discrimina non confundat. Quanta autem illi prudē-
 tia! quanta fides! quanta rebus maximis administrandis
 animi altitudo! quæ vis! quæ facundia! quæ acrimonia!
 quantum deinde amoris, officij, sedulitatis, diligentia!
 quæ porro in conuictu comitas, facilitas, simplicitas! q̃
 vbique candidus, facetus, ingeniosus! quàm etiam erudi-
 tus, ac litteratus! quid postremo carminibus illis, siue
 quæ ad citharā canit ex tempore, siue quæ per otii cō-
 ponit dulcius, mundius, limatius, venustius? Sed quid
 ego lōgius euagor? Fruere tu quantū potes, meā, tuāq;
 vicem Baccio meo: frueri Baccio, meis serijs, meisq; de-
 licijs. Atque adeò non tantū meis, quàm omniū potius,
 quicumque salem modò habent aliquem. Date verò ope-
 ram (quò desiderium vestri leuius ferā) crebris vt inter
 vos de me sermonibus sæpiſsimē mihi (quod dici solet)
 aures circumsonent. De fraterculo gigantis quid mirū,
 si tu eadem prodidisti fermē abhinc biennium, quæ nos
 abhinc fermē quadriennium? Nōne etiam catuli sæpe
 duo leporis eiusdem cubile deprehendunt, si fortē iisdē
 vterque vestigijs institerūt? Cacoëthes verò non vlcus
 modò, sed & lenta quædam febris est, in definitionibus
 apud Galenum, quod & nos alibi retulimus in litteras.
 Vtroque tamen apud Iuuenalem consuetudo mala signi-
 ficatur. Ceterum quid hoc est, quòd tu tam timide, &
 diffidenter, tã lentē, tã suspiciose, tã cautim, tã quasi pe-
 detentim nos adis? An vereris ne me istis offendas? quasi
 verò

Cacoë-
 thes non
 febris est
 apud Gal.
 sed vlcus
 malignū
 & contu-
 max. 4.
 Therap.

Verò non laudes tuæ redundēt in nos, sicut in te nostræ: quasiq; nescias me meorū familiarium laudibus plus ali- quanto fauere, quā proprijs. Ego te profectò in con- sortium laudū mearum (si modò meæ sunt aliqua laudes) adeò non grauato admiserim, vt hanc potius mihi laudē vnam putem laudum omnium maximum, quòd eas tu non aspernaris. De copię cornu, Miscellaneisq; nostris (quā quā amore labi tu quoque potes (à te tamen) vt verum fatear) non magnopere dissentio. Veruntamen illud in- terim memini simiam quoque ipsam, quæ turpissima be- stia vocatur ab Ennio, credere tamen suos catulos om- nium formosissimos. Vale.

AUGUSTINVS MAFFEVS

Angelo Politiano suo s. d.

CVM esses Romæ apud nos æstate superiore vir do- ctissime, ac non multis ego antea diebus accepiſſem, te non minore ingenio, & doctrina, quā cura, Herodiani viri sanè clarissimi historias è Græco in nostrum sermo- nem vertiſſe, ad communem videlicet studiosorum om- nium gratiam & vtilitatem: tanta sum equidem animi voluptate affectus, vt nihil profectò auribus meis aut antiquius, aut optabilius afferri eo tempore potuiſſe existi- mem. Hinc enim factum est, arbitror, vt ego re- centi quodam desiderio eius viſendi operis commotus, atque erectus, paulò curiosius exemplar abs te pete- re non dubitauerim. Quod mihi pro singulari tua er- ga omnes facilitate, non modò non negasti, sed & ver- bis amplioribus ſpōpondiſti, id te quā primum Floren- tia vsque ad nos transmiſſurum, ne diutius ſcilicet tam floride, tanq; amœnæ lectionis fructu, ac voluptate ca- reremus. Quem librum cum auidè per dies multos ex- pectāſſem, neque meum ingens illud deſiderium diutius ſuſti-

*Iustinere possem (quippe iā dubia, & incerta spe quadā
meus detineri animus videbatur) omni studio, ac solici-
tudine, industriaq; elaboravi id efficere, quo minus tale
opus esset mihi ulterius desiderandum. Itaque inuento
apud nescio quem dubiæ sanè fidei exemplari quodam,
quamprimum iussi volumen ipsum, ut erat, exscribi, atq;
exarari. Quod equidem arbitror partim scriptoris in-
curia, partim exemplaris vitio esse pluribus in locis cor-
ruptum, ac deprauatum, nec plane suis omnibus integris
membris consistere. Quam rem adnotasse haud improbè
videar, dum proximè luculentam ipsam historiam non
incuriosè, ac conuiuentibus oculis perlustrauerim: quæ
adeo meas aures impleuit, ut in ea lectione meum omne
studium, atq; otium per hos continuos dies collocaue-
rim. In qua præter elegantiam, concinnitatemq; Romani
sermonis, ac sententiarum varietatem, illud in primis nō
solum præcipua laude, sed esse singulari admiratione di-
gnissimū cōspicatus sum, quod cōcionibus adeo crebris,
adeo sublinibus abundat, ut in ea parte insignis ipse hi-
storiarū scriptor Herodianus Cornelio Tacito nostro,
ne primo quidem loco cecisse videatur. In quo nō minor
profecto laus tua, & felicitas esse debet, cum in eo ver-
tèdo opere illud planè fueris affecutus, ut seruata ubiq;
veræ historiæ maiestate, nihil quod ad cādorem, ad sub-
limitatem, ac decus Romani sermonis, aut ad sententia-
rum grauitatem vel totius operis ipsius concinnitatem
pertineat, aut requiri abs te, aut desiderari posse vllō
modo videatur. Quæ ex re illud proculdubio futurum
de hac tua proxima fetura ominamur, ut magnos scilia-
cet, atque vberes fructus, nec minores voluptates sit
cunctis litterarum professoribus succisiuis paritura tem-
poribus. Quæ licet hætenus non nisi ad paucorum ma-*
nus

nus peruenerit, auctori tamen iam suo eternam memoriam, et claram nominis perpetuitatem spōdere affatim, ac polliceri videtur. Nam mihi verè persuadeo Græcū virum Herodianum, quem ipse nuper ciuitate Romana donasti, si in mille volumina diligenter impressus, transcriptusq; ad manus litteratissimorum hominum, semel reſeratis carceribus peruenerit, de eo singulorum iudicio, expectationique satisfacturum, vt in eo libello nihil nisi candidum, nisi sublime, nisi luculentum, atque omni ex parte perfectissimū, contineri omnes ingenue fateantur. Quamobrem nihil est, vir litteratissime, quod singularem hanc gloriam, veluti popularem quandam auram vel contemnas, vel in postrema parte felicitatis tuæ colloques. Quæ quidem cum ex ingenij tui viribus orta sit, ac solo virtutis suffragio tanquam ex quodam legitimo certamine, constet, in memoria profectō, ac recordatione sempiterna omnium mortalium euigilabit. Hanc ego mediūfidiū futuram de te famam, hanc lucubrationum tuarum eternitatem, tanquam ex altissima quadam specula intueri iam planè videor: nisi tamen (quod minime vereor) singularis meus erga te amor, et antiquæ ipsius historie maiestas, et reuerentia, quam Græcis iam pridem commendatam, vel potius occupatam litteris postliminio tandem in patriam redire iussisti, me in hac parte cæco, et obscuro esse iudicio facit. Non potui tamē nō molestissimo, et iniquo animo ferre, quod cum proximè (vt dixi) ex deprauato illo archetypo sumtum, et emendatum non incuriose, nō surda aure, non illotis (vt aiūt) manibus retractauerim quædam in eo adeo corrupta, adeo varia, et præpostera adnotauī, vt nullo pacto sententijs verba congruere, aut satis cōpetere videantur. Quibusdā tamē in locis tentauī deprauatas libelli partes

tes, si quā possem lima, vel ingenij ratione castigare. Quod cum minimē affecutum me fuisse intelligam, cupiāque nostro huic volumini suum ius, suāque integritatem restitui, operæ pretiū mehercle arbitratus sum illud ad te quaecunque transmittere, quòd bene in primis abs te perulstratum, atque omni ex parte diligenter repurgatum ad suum quā primū dominū serena fronte, & cute candidula reuertatur. Quam curam si nō molesto animo pro amico sumseris, habebis me profectò laudum in primis tuarum vocalissimum præconem, atque omni tempore memoriæ tuæ clarissimæ non ingratum, aut sanè frigidum debitorem. Vale.

ANGELVS POLITIANVS

Augustino Maffeo suo S. D.

QVANTO tu erga me liberalior, & humanior, tantò me abs te maiori affici iniuria puto, videlicet quòd inhumanus habeor, cum tecum conferor. Accepisti me Romæ superiori æstate domi tuæ, mihiq; perbenignè libros veteres, aliāque monimenta, quibus tu abundas, ipse delector, ostendisti. Rem tibi ego tamen pusillam, facilēque roganti non tribui. Quis me ferat? omnes te docti colunt, hominem doctum, doctisq; fauentem: solus ego si non contemsi, certè suspicionem dedi, quasi contemserim, Quid agam? culpāne conferam in occupationes? sed quæ tantæ potuerunt occupationes efficere, ne codicem mitterem, quem domi habebam? Oblitūne me dicam? Sed obliuisci nec potui, nec debui, quod tu tantopere à nobis homo tantæ dignitatis, tantæ auctoritatis, & gratiæ, tam bene de nobis meritis petiisses. Si factum negligentia dixerò, erit hæc ipsa negligentia vix expiabilis. Quid igitur? Nempe id quod res est, putabam quoti-

dis

die cras missurum, cras tamen videre adhuc non potui. Venique sic cogitabam. Sciet Augustinus eò plus esse apud me fiduciæ, quò sit minus officij. Plus amari porrò fiducia, quàm officium debet. Ergo quo plus cessabimus, plus ille nos amabit. Nec verò ratio cinatio sefellit. Tantum enim abest, ut te offenderimus, ut honoris etià nostri causa describi protinus egregijs & notis, & paginis Herodianum curaueris, epistolamque composueris ornatissimam, nostris refertam laudibus. Ac nequid abesset, etiam grammaticum vetustum, nec adhuc peruulgatum, quem commodari tantum volebam, dono dedisti. Sic ergo meum consilium, si non sapiens fuit, ac certe felix. Sed cur non & sapiens, cum bene coniectauerim, prorsusq; diuinauerim? Quòd Herodianum laudas, gratū: nec enim pluris apud me munera illa pontificia, quàm suffragium hoc tuum. Licet igitur hunc ego librum penè ex tempore Latinum fecerim, tamen quoniam tu negligentiæ meæ subscribis, ego quoque iam posthac ita illi fauebo, ceu si nihil industriæ defuerit. Exemplum certe quod misisti, libens emendabo, tum epistolam seruabo tuam diligenter, ut ex occasione contra obtrektatores proferatur. In qua cum sint omnia laudanda, nisi quòd nimium me laudat: quid tamen ibi prius laudem, non inuenio. Fortasse verò laus eius nulla prior, quàm quòd animata, & spirans, citra lektoris operam per se ipsa penè videtur loqui. Vale.

IOANNES FRANCISCVS

Benedictus Angelo Politiano s. d.

MIRABERIS fortasse eruditissime Politiane, quòd ad te ignotus scripserim, & præsertim tanti nominis virū. Verum si ad huius calcē perueneris, inuenies profecto si ignotum, saltem tui amantißimum, & acerrimum

THAYNTO

tuarum laudum propugnatorem ad te scripsisse: si acer-
 rimus propugnator is esse potest, qui nondū velitis fun-
 ctus est officio. Agēs enim hīc Venetus secretarius Mi-
 scellanea tua, opus sanē multijugum, ac eruditum perle-
 gere decreui. Arbitrabar enim id, quod de te constanti-
 sinē conceperam, me non minus eorū doctissima lectio-
 ne, quā multiplici eruditione delectatum iri. Verū
 mehercule superauit (vt ille) praesentia famam. Inueni
 siquidem non sellarian, ac triuiale in eis doctrinam,
 sed qualem Marci Catonis, illiusue antiquitatis fuisse
 memorant. Quo factū est, vt si prius tuus fuerā amicus,
 nunc deditissimus sim: publicoq; praedicabā ore Politia-
 num nostra etate eruditissimum esse. Et ne fortassis me
 haec ad adulationem dixisse putares, Bernardus Riccius
 Florentinus secretarius vir litteratissimus, indubitans
 erit testis. Essent et alij, & praecipue Georgius Merula, Georgius
 si naturalis liuor permetteret cū quo tui caussa pugna- Merula,
 do, res mea ferē ad Triarios deuenerat, qui te furem, te
 Caesariani praeepti immemorē appellabat, instabātque
 acrius (prout eius est instituti) amplissimam virtutum
 tuarum famā deturpare, ac statim post compositam in te
 inuectiuam ostendit, qua conatur te manifesti furti de-
 prehendere. Ego autem virum admonere non cessabam,
 hortans, & enixe rogans, vt ab huiusmodi inuidioso
 desisteret instituto. Affirmabam enim se non tantum
 Politianum veteranum militem, sed Picum etiam, quem
 tu iure phoenicem appellas, in se cōcitaturum: omnē de-
 niq; doctissimorū virorum academiam: qui cū bonarū
 litterarum studiosi sint, Politiani partes acerrimē de-
 fendent. Verum irrita, & vana nostra fuit omnis admo-
 nitio. Nam transcripturus inuectiuam, quā primum in
 lucem dabit. Sed pa. turient montes, nascetur ridiculus

mus. Fateor certè Georgiū Merulam virum doctū esse, verū Politianum doctiorem esse nunquā negabo. Et ne cogitares me in eum hæc odio dixisse, scias velim meum fuisse præceptorem, cui (vt Fabius inquit) tanquam alteri deleo parenti. Verum amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas. Et de ijs satis. Tuā in Aristotelis libros prælectionem his proximis diebus vidi: quam adeò admiratus sum, vt stupore quodam altera dubitare in fieri Niobe. Pro Iupiter, sapitne hæc vulgata aliorum lectionem? sapitne pedagogorum tritam enarrationem? Quidquid in vniuersali scientiarum machina continetur, in quatuor quinquē schedas strictū à te repositum video. Faueant igitur alij cœptis, nam quemadmodum de Pico verissime dici potest, solum in litteris esse phœnicem: sic quoque de te iam fatendum erit. Reliquum est, vt scias Ioannis Francisci operam ad nutum te habere. Teq; sacratissimo academicorum vinculo obtestor, vt non minus me, et rebus vtaris meis, quā proprijs. Nec te pigcat Pico optimo, optimarum litterarum principi me commendare. Vale.

ANGELVS POLITIANVS

Ioanni Francisco Benedicto s. d.

NON minus gratæ mihi tuæ litteræ, quā si tu diu notus. Idem quippe in amicis, quod in pecunia: iucundius multo parantur, quā habentur. De Miscellaneis credo equidem ita tibi videri, vt scribis, fortasse aliter videbitur, cum in amoris locū censura subierit. Hoc & Merulæ fortasse vsuuenit. Olim nos cum primis amabat, nunc (vt ais) accusationes quoq; parturit, non liuore credo, sed iudicio. Cupio quāprimū clamet, Iuno Lucina fer opē. Ac si opus fuerit, egomet quoq; obstetrix accurrā. Prælectionē verò, qua disciplinas omneis aut
dis

Amidimus, aut partimur, admirari tum desines, cum ad te Picum conuerteris, cuius vno in pectore sese discipline ille omnes, tantæ, tamq; multiplices explicarunt. Nam quod vtriusque ambias amicitiam, causa non est, ut pote iam nunc vtrique carissimus, vtrique intimus. Non enim aliter amicos, quam in commune paramus. Vale.

IACOBVS ANTIQVARIVS

Marsilio Ficino s. d.

LIBROS quos graueis, & copiosos de vita nuper dedisti, accepi. Prima eorum frons, et indicium plurimum inuitarunt, ut capita decurrerem. Immorari in eorum lectione diutius non licuit, quoniam heri sunt redacti inter conclamandum ad vasa, exeunte in venationes principe. Cras verò Ticini me esse oportet, in qua vrbe (ut spero) absumam duodecim dies. Inde regrediens ad Ficinum, id est ad vitam meam, regressum me esse arbitror: magno enim me studio iam nostratia hæc oblectant, qui vetera tantum sectari soleo. Nec ab re, penè totas Athenas istuc concepsisse video, ut Latinas habeamus. Id fieri nemo negarit, auctore Laurentio Medice, viro ex omni æuo incomparabili, qui signum quoddam omnibus bonis artibus, & disciplinis, ad bene sperandū sustulisse videtur: sed plura aliquando de illo, nec pauciora de libris tuis, quibus Plato planè fit noster. Interea nec gratias tibi ago, quādo maximarū debitor sum. Nec magis contendo ut me ames, qui te parentis loco esse volui. Vale, & oculis nostri sæculi Pico, & Polittiano me commenda. Vale, Mediolani.

ANGELVS POLITIANVS

Iacobo Antiquario suo s. d.

IN calce epistolæ cuiusdam, quā tu ad Marsilium nostrum Ficinum scribis, mei, Piciq; mentionem faciens,

M 2

oculos

oculos nos huius seculi appellas. Gaius, fateor, opia-
nionem tua sum, delectatus testimonio, prope etiam elat-
tus laudatore Antiquario, praesertim apud Ficinum illū,
mortui penē Platonis Aesculapium. Sed ut in me descē-
di, nihil omnino reperi, quod istis laudibus responderet.
Conuertere ergo ad Ficum, partemq; illā meam laudatio-
nis tuae transcripsi. Nam ut solem unum mundus, ita
unum habet haec aetas oculum, non duos. Vale.

MARSILIUS FICINUS

Angelo Politiano suo S. D.

ACCIPERAM calamum Angele, ut Homericam
Musam tuam miris in caelum laudibus, quo ad possem
extollerem. Repente autem sic interpellauit me Cupi-
do: Quid agis inepte Ficine? semperne in laudibus Mu-
sae versaberis? Me lauda philosophē, si vis absq; adula-
tionis suspitione laudare. Si Musam celebras Politia-
nam, Angelum solum celebras: si Cupidinem, Angelum
vna, atq; Marsilium. Ego enim communis vestrum amor
sum, utrunq; colo, ab utroque color. Haec, Angele, deus
ille mihi. Sed ego illi inquam, Verax est Musa Politiana,
nunquam mentiri me cōpulit, & tu perire amor me co-
gis mentiri quotidie. Ita heri delicias Politianas amabā,
ut iurarem eas in posterum vehementius amare non pos-
se: sic hodie rursus amo ut iurem me heri eas non satis
amasse: utq; simul adfirmē, nō posse cras ardentius ama-
re, quā hodie. Cras istud quotidie similiter me deludit,
semper adultus est meus amor, quis credat? semper &
adolescens. Adoleseat tamen ut placet, modō non sene-
scat. Sed audi Cupido, non Venus amoris huius mater
est, sed Calliope. Fouet hunc Musa sedulō, crescit astu-
duc: crescat hoc fomento iugiter, & periurus sit. Non
est hoc vitium in amore: sic igitur, Angele, cōmunē amo-
rem no-

rem nostrum, Musamq; tuam colere vna & debeo, & volo. Tu Musam ipsam adora, amoris & gloriæ matrem. Vale.

ANGELVS POLITIANVS

Marsilio Ficino, Philosopho Platónico suo s. d.

QVID obsecro indignatur amor iste semper in nostra Musæ laudibus te versari? quasi verò aliud eam magis, quam amor laudauerit, qui quoniã cæcutit, vt Platon inquit tuus, ideo nec fidẽ facit. Itaq; iure nostro ciuili ne postulare quidem cæco licet: sed quoniã laudari iam se quoq; vult à quo tandem laudabitur? An à Musâ? quando nec in Phædro sine Musis laudatus. Sed Musis nõ creditur, vt pote dicentibus falsa (si credis Hesiodo) similia tamẽ veris. Dicunt & vera quidẽ (sic enim est apud eundem) cum volunt: volunt, opinor, apud Minervam, cui nocturna famulatur, quæ vel in tenebris cernit. Minervæ porro numẽ familiare tibi, sicuti Musarũ mihi. Verẽ igitur apud nos amor noster laudabitur, licet ipse minus verẽ Musam laudauerit. Solet autem (quod idem tuus auctor Plato affirmat) etiam Iouis permissu peierare amor. Vale.

MARSILIUS FICINVS

Angelo Politiano suo s. d.

SI nunc Politiane dixero me litterarum tuarum acumen, & eloquẽtiam non mediocriter admirari, aliquis fortẽ me nimis admirabundum existimabit: quippe cum nouitas tantum cæteris admirationẽ parere soleat, ego verò etiam quæ mihi in Politiano iamdudum notissima sunt, videar admirari. Sed re vera non antiqua nunc in te sed noua demiror. Ad eò enim feliciter Politianus meus breuissimum quodã tẽpore adoleuit, vt mutata forma alius

mibi iam nouusque appareat. Ergo qui mihi puer non parum, qui multum placuit adolescens, idem plurimum perplacet adultus. Merito crescente in dies forma, creuit & gratia: atqui id quidem ea etiam ratione placet factum, quia sepe vaticinatus sum futurum. Perge igitur, fac obsecro, ut coepisti, te diuinum, ut simul me facias diuinantem. Quod autem Marsiliana tantis ubique effers laudibus, nihil miror. Quis enim in proprijs laudibus canendis non vehemens sit? non accendatur? Quis adeo gustu caret, ut non sibi sua maxime placeant? Restulit nobis Francus, quid cum doctis omnibus, praesertim cum Hermolao Barbaro erga nos egeris. Quid petas ut agam? agam equidem libenter, utinam belle. Belae certe ago, atque bene quidquid cum Bernardo Bembo meo ago. Landinus & Caualcantes innumeris te vicissim salutibus obruunt. Vale.

ANGELVS POLITIANVS

Marsilio Ficino suo s. d.

NON tu noua deprehendis in me quotidie, quae laudes, sed noua potius in te, quibus me laudes. Suggestit hanc tibi copiam nimius amor, apud quem (sicuti Propertius ait) maxima de nihilo nascitur historia. Diuinum verò tu puto, me facies, qui fecisti diuinantem, dum quotidie diuinum te praedico. Vale.

MARSILIVS FICINVS

Angelo Politiano suo s. d.

ALAMANNVS Donatus noster iampride ore illo, Politiane, suo (nostri hominē) ore rotundo, altius hunc in modum nostris auribus insonat, Commenda, precor, per humanitatem, commenda, obsecro, per sacrum istum amorem in me tuum, qua quidem obsecratione nulla sacratior, commenda quam primum Alamannum tuum Politiano.

Cum

Tum verò tan ardentis, tamq; pertinacis petitionis, siue flagitationis potius ab eo caussas diligenter exquirō, ille similiter rursus ingeminat, Commenda Ficine mōdō, Commēda quā primum. Causam autē tam exoptatē commendationis adhuc explicat nullā. Ego igitur causam eius, qui nullam petitionis suae causam affert, sine causa similiter tibi commēdo. Sed caue, Politiane, putes presentem commendationē ob hoc ipsum, quod carere causa videatur, esse leuissimam. Ego enim contrā ob id potissimum tibi grauissimam videri volo. Nempe summum apud philosophos in quolibet rerum genere illud habetur, quod in eo ipso genere causam nullam habet, quasi non ab alio vllō, sed à seipso dependeat. Quamobrem commendatio præsens, cuius nulla præter ipsam met tibi adducitur causa, summa apud te commendationum omnium censeatur. Etsi Alamannus ipse, sicuti plerunq; solēt, qui ad quosuis concitatus efferuntur, clamat solum, cundemq; clamorem sepius iam auribus nostris ingeminat, clamoris autem sui rationes vllas lingua sub rapidissimo cordis affectu hæsitante plane explicare non potest: ego tamen indicij certis adductus, opinor cum insano quodam amore Musæ alicuius formosioris accensum ardere iam totum, atq; vehementer optare saltem gratiam Politiani Musarum sacerdotis, amicitiamq; mire: quo quidē cōciliatore, amata quādoq; Musæ facilius potiatur, Omnes vt secum studijs pro talibus annos exigat, & pulchra faciat se prole parentē. Vale. Sed antē, quā epistolā obsignē, teste Angelo, te prædico huic Alamāno, si quādo huic officio meo, minus officiosus, gratusue videbitur (quod absit) ei me sic prorsus exprobraturū: Ha, nimis ingrātē dicā, nōne satis à me tibi factū quondā existimabas, si te nō tū Musarū sacerdoti,

cerdoti, quàm ipsis Musis, quod multò maius est, video
commendasse? Vale.

ANGELVS POLITIANVS

Marsilio Ficino suo S. D.

Hercules
Iolaus.

HERCVLEM me vocas in libro tuo de vita, quòd
monstra domem, puto illa intuens monstra, quæ veterū
libros nimis obsident, in quibus ego purgandis diu, multa
tumq; laboro. Magnifica laus, præsertim à philosopho
illo, qui sit princeps in secta principe. Sed ego tanti
nominis pondus sustinere non quæo, non magis quàm
cælum, quod ipse tamen Hercules sustinuit, Iolaum po-
tius appellatome, si speciosis nominibus delectaris: quòd
penè oppressæ ab Hydra vetustati, velut Herculi cla-
manti sum præstò cum face. Tu tamen indulgens amori
(quod & parentes alij facere solent) nomen imposuisti
filio, non quod aptissimū, sed quod pulcerrimū. Vale,

ANGELI POLI-
TIANI EPISTOLARVM

LIBER SEPTI-
MVS.

MACARIVS MUTIVS EQVES

Angelo Politiano suo S. D.



PERVENIT ad me nuper auspicio
quidē tuo, sed ductu Guarini Camer-
tis Centuria tua, vario splendore, mul-
tipliciq; apparatu: nihil sanè latius,
nihil felicius memoria nostra prodijt
in lucem. præibat enim Centurio non
Latiam, sed Hetruscā vitem gerens, omnis infantie,
atq;